

Franckesche Stiftungen zu Halle

Diatriba De Peregrinationvm Ervditarvm Ortv, Progressv Et Fine

Jacobs, Friedrich Heinrich

Ienae, [1705?]

VD18 14873222

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

[urn:nbn:de:gbv:ha33-1-197691](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:gbv:ha33-1-197691)





57 E 8

20433

27. 28
DIATRIBA
DE
PEREGRINATIONVM
ERVDITARVM
ORTV, PROGRESSV, ET FINE

QVAM
FASCES IMPERII ACADEMICI IUSTE NON MINVS AC
FELICITER TENENTE AC MODERANTE
MAGNIFICENTISSIMI RECTORIS

TITULO
SERENISSIMO IUVVENTVTIS PRINCIPE AC
DOMINO
GVILIELMO HENRICO

DVCE SAXONIAE, IVLIACI, CLIVIAE, MONTIVM,
ANGARIAE ET VVESTPHALIAE, CETERA
CONSENTIENTE AMPLISSIMA FACVLTATE PHILOSOPHICA

PRO LOCO
IN EADEM RITE MORE MAIORVM OBTINENDO
PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTENT

IN ALMA SALANA
PRAESES
M. FRIDERICVS HENRICVS IACOBS

RESPONDENS
IOH. CHRISTOPH. SCHROETER

GVMPERTHVSA FRANCVS LL. CVLTOR.

Ad d. XXI. NOV. MDCCV.

h. lq; consuetis

I E N AE,
LITTERIS WERTHERIANIS.



C A P. I.

De

Origine & progressu peregrinationis eruditæ.

§. I.



Qui de re aliqua tractationem instituunt, ante omnia in primam eius originem & natales inquirere debent. His enim probe cognitis de re ipsa eo rectius iudicium ferri potest. Idem igitur & nobis circa præsentem, quam tractandam suscepimus, materiam faciendum arbitrati sumus. Scilicet de peregrinatione in præsentem agere constituimus, non ea quidem, quam confusio linguarum structoribus turris Babelicæ suavit,

A

suavit,

suasit, quam dispersionem potius in varias terras dixeris; nec de ea, quæ ob accrescentem multitudinem incolarum, adeoque indigentiam earum rerum, quæ ad victum & amictum pertinent, fuit instituta, quæ migratio gentium vulgo dici consuevit. Sed neque eorum itinera finesque perpendimus, qui religionis ergo peregrinationes ad sacra loca suscipiunt, utpote quæ superstitionem ut plurimum habent pro fundamento. Nobis vero propositum est eos solummodo tangere, quos sapientiæ, scientiarum ac veritatis fulgor illeceat, vitæque melioris desiderium trahit, ut exteras regiones inuisant, quicquid ibidem sapientiæ habetur inde hausturi inque usus suos pariter & aliorum conuersuri.

§. II.

Harum igitur peregrinationum eruditæ incunabula si euoluamus, multa quidem dici possent, quæ tamen partem maximam fidei faciendæ principia ex sola coniectura ducunt, præcipue cum nemo sit, quantum nobis quidem constat, qui materiam hanc tractauerit ex professo atque expediuerit. Phœnices gentem antiquissimam, litterarum-

rarumque studiis exculissimam fuisse, neminem puto fore, qui in dubium vocare ausit; an vero ad illos primum Aegyptii doctrinae causa profecti fuerint, & vice versa illi ad hos, hoc est de quo disquiritur, cum Chaldaeorum, Phoenicum & Aegyptiorum monumenta antiqua iamdudum consumserit aetas, ea etiam, quae forte ex Zoroastre Bactriano, Hermete Trismegisto, Sanchuniatone, aliisque afferri possent, fabulas maximam partem redoleant, ceu ex Ioh. Henrici Vrsini exercitationibus familiaribus, quas de dictis autoribus eorumque scriptis edidit constare poterit. Quae de Thalete quis obiiciat, quem Phoenicium fuisse aliqui tradunt, tanti non sunt, ut aliquid certi exinde adstrui possit, cum solus ille fuerit, qui Phoenicia ortus in Aegyptum peregrinationem instituerit adhuc etiam alii aliter sentiant, certe inter Graecos Sapientes primum locum obtineat, & a plurimis doctissimis referatur. Quare nemo, ut opinor, vitio nobis vertet, si Graecos primos statuamus, qui ad Aegyptios sapientiae causa concesserunt, cum plura & firmiora nobis suppetant fundamenta.

Quod si enim perpendamus, Aegyptios sapientia sacra pariter atque profana plures alias gentes superasse, adeo quidem, ut fama eius ad externos quoque & Græcos imprimis perlata fuerit, qua illecti eo proficiscerentur, haud parum nostram hanc sententiam confirmatum iri arbitramur. Aegyptiorum sapientiam Diodorus, Diogenes Laertius, Iamblichus, Philo Iudæus, Eusebius Cæsariensis indicant, fuisse diuisam in partes quatuor, nempe in mathematicam, naturalem, diuinam & moralem. In omnibus ad eam ascenderant perfectionem, ut non modo non Græci, sed vix hodie etiam cultissimæ nationes eam adæquent. Mathematicam quidem & imprimis Geometriam necessitate impulsæ excoluerunt, quippe qua maxime egebant, cum turbatis incrementum Nilo agrorum finibus, postquam amnis in suum alueum redierat, sua cuique essent restituenda, nec alia ratione constare posset agrorum dimensio, nisi adhibitis, quæ ex certis coalita principiis fallere peritos mensores nequirent. Quod aperit Herodotus scribens, Sesostrum
totam

§§(s)§§
totam Aegyptum fossis ex Nilo ductis irriguam fecisse soli quadrati æqua portione viritum per sortem data, atque hinc prouentus instituisse imposita certa pensione, quam ipsi cotannis soluerent, & quod si cuiusquam portionem alluione flumen decurtasset, is adiret regem, rei quæ contigerat cettiolem faciens, rexque ad prædium inspiciendum mitteret, qui metirentur, quanto deterius factum esset, vt ex residua portione taxatum vectigal penderetur. Hæc Herodotus.

§. IV.

Nec duntaxat Philosophiam, Astronomiam, & Geometriam iidem sollicitè exercuerunt, tradente Strabone L. XVII. sed & iustitiam impense colebant. Ad rem Aelianus. Var. Histor. L. XIV. *Iudices inquit apud Aegyptios iidem quondam fuerunt qui & sacerdotes. In his princeps erat sententia maximus natus, & in omnes statuendi ius habebat; quem omnium hominum iustissimum & sincerissimum esse oportebat, qui circa collum imaginem ex Sapphiro gemma confectam gestabat, quæ vocabatur veritas.*

A 3

Hinc

§(6)§

Hinc factum est, ut ipse Solon & Lycurgus
legislatores celeberrimi leges suas inde hauri-
re haud dubitarent.

§. V.

De medicina Aegyptiorum vel ex solo
effectu promptum est colligere, eam super-
asse omnium hactenus aliarum nationum so-
lertiam & ἀκρίβειαν. Certe Herodotus in
Euterpe, postquam breuiter enarrasset Aegy-
ptiorum methodum medendi, subiungit, Ae-
gyptios his remediis vtentes, esse hominum
sanissimos. Et Isocrates in laudat. Busirid.
de sacerdotibus inquit: μετ' ὧν ἐκείνοι βιο-
τεύοντες τοῖς μὲν σώμασιν ἰατρικὴν ἐξέφερον ἐπι-
κρίαν, & διακεκυνδυνεύμένοις φαρμάκοις χρω-
μένον ἀλλὰ τοιούτοις, ἃ τὴν μὲν ἀσφάλειαν
ἔχει ὁμοίαν τῇ τροφῇ τῇ καθ' ἡμέραν: τὰς δὲ
ὠφελείας τηλικαύτας, ὥστε ἐκείνους ὁμολογε-
μένως ὑγιεινοτάτους καὶ μακροβιοτάτους εἶναι.
*Illi igitur his usi commoditatibus ad corpora
inuanda medicinam inuenerunt, non eam,
quae periculosis medicamentis utitur, sed e-
iusmodi, quae cum aequae tuto sumi possint,
ut cib quotidiani, tantas utilitates habent,*
ut

33(7)52
ut nemo neget, eos & saluberrimis esse corpo-
ribus & diutissime vivere. vid. Olauum Bor-
richium fusius de medicina Aegyptiorum
differentem in tractatu, quem edidit de Her-
metis Aegyptiorum & Chemicorum sapien-
tia.

§. VI.
Sapientiam diuinam quod attinet, Philo
Byblius apud Eusebium præpar. Euang. L. I.
affirmat vniuersos homines Theologiæ suæ
principia ab Aegyptiis petiisse. Constat
enim Aegyptiorum Theologos peculiare
quoddam Scripturæ genus habuisse mysti-
cum & arcanum, quo sublimiora Theolo-
giæ ac diuini cultus mysteria, quæ potis-
simum euulgari nollent, occultabant. Hie-
roglyphicum illud appellabatur, cuius duæ
erant species, vna *κρυπτολογική* id est proprie
loquens, altera vero *συμβολική* siue per signa
significans, quæ triplex erat, nempe imita-
tiua, tropica & ænigmatica. Certe si nulla
alia re magis, ea tamen commendanda ve-
nit Theologia Aegyptiorum, quod in iis sa-
crorum tenebris, ea quæ Aristoteles toto
ingenii molimine assequi nequit, viderint,
ani-

animarum immortalitatem. Ita quippe
Herodotus in Euterpe refert, primos homi-
num Aegyptios tradidisse ψυχὴν ἀνθρώπου
εἶναι ἀθάνατον, vt alia Theologiae ipsorum
capita taceam. vid. Iamblichus de mysteriis
Aegyptiorum, Clemens Strom. L. V. Sixtus
Senensis Bibliothec. L. II. Witsius in Aegy-
ptiac. Daniel Huetius in Demonstrat. Euan-
gel. passim.

§. VII.

Plura huc conuectare immensi operis
foret & superuacui, praecipue cum sapientiae
laudes Aegyptiis attributas inuenias in Hero-
doto, Isocrate, Cicerone, Diodoro, Strabo-
ne, Plinio, Tatiano, Clemente Alexandrino,
Eusebio Pamphilo aliisque. Vtque fides ho-
rum omnium sit testatior, ea se in historia sa-
crae Mosis Act. VII. & Salomonis I. Reg. IV.
indicia sapientiae Aegyptiae produnt, quibus
aduersari nefas est. Claudimus ergo illo

Diodori: ἀλλὰ μὲν καὶ τὰς τέχνας ἰδεῖν ἐστὶ
παρὰ τοῖς Αἰγυπτίοις μάλιστα διαπεπονημένας,
καὶ πρὸς τὸ κατὰ τὸ τέλος διηγεῖσθαι.

§. IIX.

Hæc Aegyptiacæ sapientiae fama tam
illu-

illustris ac per totum pene orbem diuulgata
 accedente regni florentissimi gloria multos
 sibi asseclas peperit atque ad se traxit. Testa-
 tur hoc Diodorus Siculus L. I. multos priscos
 Aegyptiorum mores non tantum ab indige-
 nis probatos fuisse, sed in magnam quoque
 apud Græcos venisse admirationem, ob
 quam inter doctos celebratissimi quoque
 peregrinationibus in Aegyptum operam de-
 dere, vt legum illic & studiorum, tanquam
 rerum magni momenti cognitionem asse-
 querentur. Hinc Clemens Alexandrinus
 Stromat. L. I. *Plato inquit non inficiatur,*
se ea quæ sunt præstantissima in Philosophia
mercatur esse a Barbaris fateturque se in
Aegyptum venisse. Græci igitur Philosophi,
 vti ex allegato Diodori loco constat, primi
 fuere qui peregrinationes suas in Aegyptum
 sapientiæ causa instituerunt, id quod argu-
 mentum iam laudatus Autor Lib. I. & V.
 cum Plutarcho de Isid. & Osirid. fusius perfe-
 quuntur, & variis exemplis illustrent, refe-
 rentes, clarissimos Græcanicæ eruditionis &
 Philosophiæ antistites, Melampadem, Dæda-
 lum, Musæum, Orpheum, Taletem, Solo-
 B nem,

nem, Pherecydem, Pythagoram, Lycurgum, Anaxagoram, Democritum, Oenopidem, Eudoxum & Archimede[m] in Aegyptum philosophandi causa se contulisse, & Aegyptiis magistris esse usos, quorum & nomina recensent. Idem quoque de Græcorum Philosophis in genere testatur Iamblichus de mysteriis Sect. I. cap. I. inquit: εἴη γὰρ εἴη πρέπον, Πυθαγόραν καὶ Πλάτωνα, Δημοκρίτον τε καὶ Εὐδοξον καὶ πολλὰς ἄλλας τῶν παλαιῶν ἐλλήνων τετυχηκέναι τῆς διδασκῆς τῆς περὶ τῆς φύσεως ὑπὸ τῶν καθ' ἑαυτὸς γενομένων ἱεργεσμιματέων, σε δ' ἐφ' ἡμῶν ὄντα, καὶ τὴν αὐτὴν γνώμην ἐκείνοις ἔχοντα διαμαρτεῖν τῆς ὑπὸ νῦν ζῶντων καὶ καλεσμένων κοινῶν διδασκάλων ὑφηγήσεως. *Neque enim decet, cum Pythagoras & Plato, & Democritus & Eudoxus, alique plures veterum Græcorum reportarint doctrinam dignam & congruam ab iis qui isthoc seculo sacrorum erant scribe, ut tu, qui nostro hoc tempore eodem quo veteres animo cum sis ab iis, qui nunc viuunt & publici celebrantur Doctores institutionem non impetrares.*

Possent hæc quæ iam dicta sunt suffice-
cere ad demonstrandum id, quod voleba-
mus, nimirum plerosque Græcorum Philo-
sophorum, qui sapientiæ laudem adepti sunt,
Aegyptios adiisse, primosque adeo fuisse, qui
peregrinationibus animum excoluerunt. Ut
vero eo melius constare possit: quid potis-
simum ibi egerint quosue audiuerint, vno
vel altero exemplo id monstrare libet. De
PYTHAGORA iam ex supra dictis con-
stat, quod in Aegypto fuerit. Testatur
illud ipsum Isocrates in laudatione Busiridis.

Ἐχοι δ' ἂν τις μὴ σπένδειν ὠρμημένος, πολ-
λὰ καὶ μεγάλα περὶ τῆς ὁσιότητος αὐτῶν
διελθεῖν. ἢν ἔτε μόνον, ἔτε πρώτον ἐγὼ
τυγχάνω καθεωρακός, ἀλλὰ πολλοὶ καὶ
τῶν ὄντων, καὶ τῶν προγεγενημένων, ὧν καὶ
Πυθαγόρας ὁ σάμιος εἰς ἐσὶ, ὃς ἀφικήμενος
εἰς Αἴγυπτον καὶ μαθητὴς ἐκείνων γενόμενος
τὴν τε ἄλλην φιλοσοφίαν πρώτον εἰς τὰς ἑλλη-
νας ἐκόμισε, καὶ τὰ περὶ τὰς θυσίας τε καὶ τὰς
ἀγιστείας τὰς ἐν τοῖς ἱεροῖς ὑπερφανέστερον τῶν
ἄλλων ἐσπέδασεν, ἡγάμενος, εἰ καὶ μηδὲν αὐτῷ
διὰ ταῦτα πλεῖον γένοιτο παρὰ τῶν θεῶν, ἀλ-

λὰ παράγει τοῖς ἀνθρώποις ἐκ τέτων μάλις' αὐ
 εὐδοκίμῃσιν, ὅπερ αὐτῶ καὶ συνέει τοσούτον γὰρ
 εὐδοξία τὰς ἄλλας ὑπερέβαλεν, ὥς καὶ τὰς νεώ-
 τερας ἀπαντας ἐπιδυμεῖν αὐτὸ μαθητὰς εἶναι,
 καὶ τὰς πρεσβυτέρους ἥδιον ὁρᾶν τὰς παῖδας τὰς
 αὐτῶν ἐκείνῳ συγγνωμένους, ἢ τῶν οἰκείων ἐπιμε-
 λυμένους, καὶ τούτοις ἔχ' οἷον τε ἀπιστεῖν. *Multa
 ni festinatio prohiberet, & magna de sancti-
 tate Aegyptiorum commemorari possent, quæ
 ego neque solus neque primus perspexi: sed
 multi cum nostra, tum superioris ætatis ho-
 mines, quorum de numero fuit etiam Samius
 ille Pythagoras. Qui cum in Aegyptum pro-
 fectus, illorum disciplina se tradidisset, tum
 reliquam Philosophiam primus in Græciam
 intulit, tum sacrificiorum & consecratio-
 num in templis maius quam ceteri studium
 habuit, existimans etiamsi propterea nihilo
 plus propterea a Diis impetrasset; at ma-
 ximam celebritatem sermonis hominum ea
 re se consecuturum: id quod ei & contigit.
 Tantum enim nobilitate ceteris excelluit,
 ut & adolescentes omnes eius discipuli esse
 cuperent, & senes cum eo vivere mallerent
 suos liberos, quam familiarem curare. At-
 que*

que his abrogari fides non potest. Ex quo loco Isocratus egregio illud simul patet, quod Theologiae sanctiorique disciplinae ibidem inuigilauerit, non neglecta tamen Philosophia. Postquam enim a rege Amasi, penes quem tum temporis rerum summa exstebat sacerdotibus commendatus erat, ut admitterent hospitem nouum, sacris Aegyptiorum initiatus sacratoris disciplinae ab iisdem, inter quos Senophis maxima pollebat auctoritate, particeps redditus est, numerorum leges didicit, naturae recessus rimatus est, & quid ius fasque esset, quidque a mortalibus exigeret Numen, percepit; praecipue vero animas hominum non interire, edoctus est, cum alias secus hoc esse vulgus sibi persuaderet. conf. Plutarchus in L. de Iside & Osiride. Diogenes Laertius in eius vita aliique.

§. V.

PLATO, ut Aegyptiorum arcana perdisceret, hanc regionem peragrauit. Nam Sechnuphin Heliopolitanum praecipuum sacerdotem ibidem adiit. Accepit autem teste Cicerone L. V. de finibus, & Valerio Maxi-

mo L. IIX. a sacerdotibus eius gentis Geometriae multiplices numeros atque coelestium observationum rationem. Ita de eodem testatur Clemens Alexandrinus in admonitione ad gentes, quod ab Aegyptiis Geometriam didicerit. De eadem Platonis in Aegyptum peregrinatione testatur Cæsar apud Lucanum L. X. ad Achorea Sacerdotem Aegypti.

--- Cecropium sua sacra Platonem
Maiores docuere tui, quis dignior unquam
Hoc fuit auditu mundi que capacior hospes.

§. XI.

Pari ratione DEMOCRITUS in Aegypto quinque annis cum sacerdotibus vixit familiariter & Geometriam ab iis accepit, ut ex Laertio, Clemente Alexandrino, Strabone & aliis constat. Sed viditne Aegyptum ARISTOTELES? Nullus est dubitationi locus, tum quod Ammianus scribat, ipsum secutum fuisse Alexandrum in expeditione bellica ad vsque Brachmanas imo Persidem cum eo peragrassse; quis enim interea negabit cum eodem intrasse quoque Aegyptum; tum quod Strabo L. XIII. memoret, Aristotelem primum

num omnium docuisse reges Aegyptios instruere Bibliothecam, cuius tamen contrarium adstruere videtur Diodorus Siculus L. I. Histor. Bibl. Vt taceam Aristotelem totis XX. annis vacasse Platoni Platonem totis XIII. annis in Aegypto versatum docente L. XVII. Strabone. THEOPHRASTUM ERESILUM adiisse Aegyptum, vix audebit negare, qui aduertit, quam accurate plantas Aegyptias, etiam illas, quæ peregrinari nequeunt, depinxerit in historia plantarum L. IV. C. II. & alibi, vt oculatum testem fuisse, ægre liceat dubitare. conf. Olauum Borrichium de sapientia Chemicorum Cap. IIX.

§. XII.

Hæc ipforum in Aegyptum peregrinatio præcipua omnino fuit maximeque insignis & fructu præclaro haud quaquam fuit destituta. Ea enim factum est, vt siti & fame disciplinarum detentam Græciam, vberissima mensa lautissimarum disciplinarum ferculis instructa, Nectareque scientiarum diuino ex Aegypto aduecto, referta, satiarent. Ita ex Aegypto in Græciam translata Theologiam ab Orpheo Lini discipulo contubernalique Her-

Her-

Herculis; medicinam ab Aesculapio; a Solone & Lycurgo leges, a Pythagora & Platone integram Philosophiam, a Democrito Geometriam, scite non minus ac solide ex probatissimis autoribus demonstrat Otto Heurnius in Barbaricæ Philosophiæ antiquitatibus passim.

§. XIII.

Quamuis vero iam dicti Græcorum Philosophi maximam partem sapientiæ Aegyptiis debeant, nequaquam tamen in his terminis eorum continebatur peregrinatio, nec contenti erant eis disciplinis, quas præstare poterat Aegyptus, alias quoque lustrabant oras, recte iudicantes, nullam gentem tam barbaram, tamque incultam esse, quæ non egregium aliquid habeat, quo se extolat super alios atque commendet, quodque adeo ab eis ediscere ac inuestigare utique operæ pretium sit. Sic PYTHAGORAS præter illam quam ad Aegyptios suscepit peregrinationem ad Phœnices quoque diuertit ibidemque a sapientiæ antistitibus venerandis inter quos & Mochus naturæ scrutator indefessus (quem Mosen diuinum vatem, & con-

conditorem reipublicæ Israelitarum fuisse, per-
peram asserit Huetius) maximorum mysterio-
rum particeps factus est. Post Babylonem fa-
to non voto delatus est, vbi tamen non otiosus
delituit: sed hanc etiam licet invitam peregri-
nationem in suum commodum conuertit, sa-
pientiæque egregia cepit incrementa. A Ma-
gis quippe, sanctissimis iustitiæ ac sapientiæ sa-
cerdotibus ea, quæ pertinent ad Deorum cul-
tum, cæteraque, quæ vitam respiciunt audiuit,
omniaque magicæ disciplinæ arcana edoctus
fuit. Eminent inter cæteros Pythagoræ Docto-
res, quos Babylone sectatus est, Nazaratus As-
syrius, quo nomine Ezechielem, diuinum Va-
tem innui crediderunt nonnulli, quod, num
ita se habeat, nec ne? autoribus disceptandum
relinquimus: cum in re ancipiti & crepera vel
abnuere prorsus, vel asserere quid, temeritatis
sit. Multum etiam debet Thracibus, vt prodit
Hermippus Smyrnæus. Cretam quoque Spar-
tamque inuisit, Minois & Lycurgi vt instituta
lustraret. Tandem ex mercatura bonarum ar-
tium in Italiam transmittens Crotone conse-
dit, ludumque aperuit, vbi bacchantem in vi-
tia populum non modo litteris; sed bonis ar-
C tibus

tibus etiam instituit, matronas quidem ad pudicitiam; iuvenes vero ad modestiam reuocauit, adeo ut sanctitate illius adductæ mulieres, aureas vestes & leuiores quæuis ornamenta, quibus uti consueuerant, Iunoni consecrarent, eoque ipso non vanam & inutilem finem fuisse peregrinationem monstrauit, teste Sidonio L. IIX cap. 3. confer de his reliquisque eius itineribus Malchum in eius vita, Diogenem Laertium, Iamblichum, Strabonem L. XIV. & qui præ cæteris nominari meretur, celeberrimum nostrum Buddeum in dissertatione sua de Peregrinationibus Pythagoræ.

§. XIV.

PLATO emenso Aegypto, indeque Astrologiæ peritissimo discedente, ad Theodorum Cyrenaicum, præclarum illius æui Mathematicum profectus est. Italiam postmodum transgreditur, ut ab Archyta Tarenti, a Timæo & Arione Pythagoræ præceptis instrueretur. Ad Indos quoque & Magos intenderat animum, nisi eum bella Asiatica veruissent. In Siciliam etiam, & incendii Aetnæ cognoscendi & legum discendarum causa profectus

ctus est. Omnes has eius peregrinationes,
paucis complectitur Clemens in admonitione
ad Gentes, Platonem compellans: Οἶδα σε
τὰς διδασκάλας, καὶ ἀποκρύπτειν ἐθέλεις.
γεωμετρίαν παρ' Αἰγυπτίων μαρτάνεις, ἀστρο-
νομίαν παρὰ Βαβυλωνίων, ἐπωδὰς τὰς ὑγιᾶς
παρὰ Θρακῶν λαμβάνεις, πολλὰ σε καὶ Ἀσσύ-
ριοι πεπαιδένκασι νόμος δὲ τὰς ὅσοι ἀληθεῖς,
καὶ δόξαν τὴν περὶ τῶν θεῶν παρ' αὐτῶν ὠφέλησαι
τῶν ἑβραίων. *Noui tuos magistros, etsi eos
celare velis. Geometriam discis ab Aegyptiis,
Astronomiam a Babyloniis, incantationes,
queis morbi sanantur, accipis a Thracibus.
Multa etiam Assyrii te docuerunt. Leges au-
tem quaecunque verae sunt, & de Deo opinio
suppeditata tibi sunt ab Ebreis.* Tanta scilicet
vis, tantaque copia litterarum vndique colli-
genda erat, ut inuicem per totum terrarum or-
bem dispergi, dilatarique posset. Reversus tan-
dem ex diuturna peregrinatione, Athenas, ea
quæ audiuerat, quæque ab aliis didicerat, iam
quoque in usum convertere satagebat. Aca-
demiā igitur sectam a rusticulo suo, in quo
commorabatur, ita dictam instituit, ibique
dulcissima summæ eloquentiæ & paris doctri-

næ alimenta auditoribus præbuit: & tanto quidem cum successu hæc doctrinæ atque sapientiæ suæ semina sparsit, adeoque excelluit, vt diuinus & Philosophorum princeps meruerit appellari. Conf. præter eos, quos ad eius vitam in Laertio adducit Mênagius, Philostratum in vita Aristidis sophistæ, Augustinum de Socratis genio, Xenophontem apud Aelianum, qui propter hoc Platonem reprehendit.

§. XV.

DEMOCRITVS Abderita, aliis Milesius dictus, præter Aegyptios Magos, quoque Chaldaeos habuit Doctores. Rubro enim mari emenso ad Chaldaeos, & (vt scribit Aelianus L. IV. var. histor.) ad Gymnosophistas penetravit. Tandem Athenas rediit ad Socratem. Ita de ipso Suidas. Ἦλθε καὶ εἰς Πέρσας καὶ Ἰνδοὺς, καὶ Ἀιγυπτίους, καὶ τὰ παρ' ἐκάστοις ἐπαίδευθη σοφῶς. De peregrinationibus suis ipse audiendus apud Clementem Strom. L. I. Ἐγὼ δὲ τῶν κατ' ἐμαυτὸν ἀνθρώπων γῆν πλείστην ἐπεπλανησάμην, ἰσορέων τὰ μήκιστα, καὶ αἰέρας τε καὶ γῆας πλείστας εἶδον, καὶ λογίων πλείστων ἀνθρώπων ἐσῆκον, καὶ γραμμάτων συνδέσιος μετὰ

μετὰ ἀποδείξεως εἰδὲς καὶ μετὰ παρήλλαξεν, εἰδὲς
οἱ Αἰγυπτίων καλεόμενοι Ἀρπεδονάπται, σὺν τοῖς
δ' ἐπ' ἑτέ' ὁδοήκοντα ἐπὶ ξένης ἐγενήθη. Ego
ex iis, qui meo tempore fuerunt, plurimas
terras peragraui, ea qua procul erant remo-
ta, inquit, εἰς aeris εἰς terra vidi regiones
plurimas, εἰς homines doctos audiui plurimos,
εἰς in componendis cum demonstratione libris,
nemo me adhuc facile superauit, non qui Ae-
gyptiorum vocantur Arpedonapta. Cum his
ait, autem postremo octoginta annis fui in
terra aliena.

§. XVI.

Non attinet plures referre, cum idem fecisse
constet, quorum laus atque eruditio apud
Græcos celebratur. Et profecto nisi id fecis-
sent, non potuissent tantam discipulorum ad
se trahere frequentiam, nec tot lectas institue-
re; immo nisi peregrinando tot emensi essent
terras, multa nos laterent litterarum aliarum-
que antiquitatum monumenta, quæ ipsi apud
exteros degentes, velut ex tenebris in lucem
protraxerunt, nec ad tantum culmen, tantam-
que ἀκμὴν studia peruenissent: cum quauis

§§ (22) §§
terram alias disciplinas, aliaque studia proferre
experientia edoceamur.

§. XVII.

Hinc igitur factum est, ut Græci euaderent gens florentissimæ eruditionis; celebres non modo rerum præclare gestarum gloria, sed imprimis etiam bonarum mentium palæstra, qua apud ipsos ad omnem humanitatem informabantur adolescentes; adeo ut per omnem Europam longe lateque se diffunderit cultissimæ gentis fama, nullaue hodie apud Europæos & plerosque Asiaticos reperiatur natio, quæ non aliquid reseruauerit ex reliquiis Græcanicis siue in ciuili disciplina, siue in religione; aut quæ non inter antiquitates iactet aliquas Græcorum fabulas. Quemadmodum vero iam nominati Græci quicquid eximii in studiis habebant ab Aegyptiis didicerant: ita a Græcis veteres Romani, qui sapientiæ conquirendæ gratia saluberrimo instituto in Græciam, & imprimis huius illustriora loca, aliasque terras excultas descendebant.

§. XIX.

Eminebant autem inter reliquas Græciæ
ciuitates ATHENAE, cuius vrbs encomia
tanta olim erant, quanta vix de alia reperies
vnquam. Ipse Cicero, qui principem hanc
vrbem studiorum suorum sedem elegerat, o-
mnia fere, quæ in eius laudem cumulari pot-
erant complectitur, quando pro Flacco c.
XXVI: *adsunt, inquit Athenienses, unde hu-
manitas, doctrina, religio, fruges, iura le-
ges ortæ, atque in omnes terras distributæ pu-
tantur, de quorum vrbs possessione propter
pulcritudinem etiam inter Deos certamen
fuisse, proditum est.* vid. Vbbo Emmius de
Republ. Athen. p. i. Meursius de fortuna At-
tica. Atque hinc mirum non est, cur Athenas
olim tanta frequentia se Romani contulerint,
cum omnigenis artibus atque studiis vnæ o-
mnium ita florerent, vt ipsæ musæ eas sibi se-
dem delegisse ac templum viderentur. Duo
vero præcipue loca celebrabantur in ea vrbe
Academia & Lyceum, quæ ambo ob suam
amplitudinem, amoenitatem, studiorumque,
quæ

quæ ibidem tractabantur, elegantiam, plurimos ad se trahebant, maxime cum & alter locus Platonis, alter vero Aristotelis schola inclutus esset.

§. XIX.

Ita Cicero, qui eloquentiæ studio omnibus Romanis palmam præripuit, hanc se cum reliquis, quibus excellebat litterarum studiis, Athenis debere facile largitur, id quod passim de se ipso fatetur. Postquam enim iam puer poesi maxime fuerat delectatus, uti de ipso testatur Plutarchus, animum deinde ad historiam applicabat, in Herodoti, Thucydidis, Theopompi, Ephori, Xenophontis, Callisthenis, Timæi, aliorumque lectione assidue occupatus, teste Quintiliano L. X c. i. Cognitis autem, laudatis hætenus litterarum studiis, Philosophiæ, omnium artium matri instituebat inuigilare, eam a viris celeberrimis, qui tum temporis Athenis florebant, hauriendam, quod ipse de se testatur in Bruto, alibique. Excultus sic Philosophia, Rhetori demum adiungebat animum, Demetrium Syrum non ignobilem dicendi magistrum, aliosque frequentans.

quentans. videatur ipse in Bruto Cap. XC.
Ex quo Ciceronis exemplo illud simul appa-
ret, quæ potissimum studia Athenis flou-
erint, & quam methodum in iis tractandis
obseruauerint. De Tito Pomponio Attico
Nepos in eius vita refert, quod, cum a patre
omnibus doctrinis, quibus puerilis ætas im-
pertiri debebat, eruditus fuisset, Athenas se
contulerit, ibidemque ita vixerit vt vniuersis
Atheniensibus merito esset carissimus, in lin-
gua Græca tantos capiens profectus, vt Athe-
nis natus videretur. Ciceronis Patris itinera
& studia profectus est Marcus filius; Enim
vero cum castris valedixisset, pariter Athenas
descendit, vt tum studia cultiora redderet,
tum ad maiora properaret. vid. Ep. XXXII.
L. XII. ad Atticum & Plutarchus in vita Cice-
ronis p. 864. Vt nihil iam dicam de Hadria-
no, Antoninis Septimio Seuerio Gallieno, a-
liisque Imperatoribus, qui & ipsi studiorum
sacrorumque causa eo concesserant.

§. XX.

Sed non vnæ Athenæ sufficiebant ad vbe-
riorem eruditionis frugem efflorescere cupi-
dis

D

dis, abibant ad alia loca, vbi artes ac studia excolebantur. Sic Cicero posteaquam Athenis eloquentiæ principes & peritissimos in dicendo ac versatissimos homines audiuerat, totam Asiam & Achaiam peragrauit, acutissimis philosophis & summis oratoribus, familiariter vsus. Erant autem eiusmodi emporia humanitatis præter Athenas, Rhodus in citeriore Asia, Apollonia in Græcia, Massilia in Gallia, Neapolis in Italia, Mitylene in Lesbo Insula, Tarsus in Cilicia Alexandria, aliaque loca, quæ omnia situs opportunitate, copia, salubritate, & elegantia studiorum, quæ ibidem excolebantur, Romanos ad se trahebant, vt eo abirent lubentissime. Plura de peregrinationibus hisce Romanorum congerere, materiamque hanc fusius diducere possemus nisi ante nos iam alii ex professo materiam hanc tractassent, vt adeo actum agere videremus, si plura addere vellemus. Certe quod nobis iam sunt Academiae, illud Romanis erant iam memorata loca, vtpote in quibus omnis generis bonæ litteræ, quibus animos iuuenum ornari fas est, florebant. Neque igitur peregrinationes eruditionis

tionis causa instituta, tam novum sunt inventum, sed iam antiquissimis temporibus fuerunt in usu, forsitan meliori ratione & ad meliores fines, quam nunc fieri solet, instituta.

§. XXI.

A Romanis ad Germanos tandem hæc peregrinandi consuetudo, vti & reliqua studia transit. Inclyta quidem iam tum erat Germanorum fama, cum se tempore belli Cimbrici in Italiam Galliamque superfunderent, domitisque magnis regibus, ac pluribus nationibus bello subactis, terrorem famamque nominis sui latissime spargerent. Sed nemo ea tempestate erat, qui ingenium exercebat, studiisque liberalibus animum excolebat. Vita omnis ipsorum, ut Cæsar de iis scribit, in venatione & cura rei militaris consumebatur. Primi Romani erant, qui perdomita magna Germaniæ parte, ferocem gentem, mitigarunt, & præter corporis vires animorum cultum fortissimis hominibus commendarunt. Imprimis verò Franci homines Germani, cum jugum Romanorum excussissent, cum ipsa libertate omnem humani cultus

speciem in Germaniam inuexerunt, adeo ut post illa tempora Germani Græcorum Romanorumque exemplo ad artium ac scientiarum egregiarum studium, quantum per eam licebat ætatem, animum aduerterent.

§. XXII.

Sed non admodum diu hac felicitate Germaniæ licuit uti, tanta quippe mox eam inuasit barbaries, ut vix vlla vestigia litterarum reperiri potuerint. Cum enim labentibus rebus Romanis Saraceni in Orientem, Scythæ in Occidentem irruerent, præclara iterum ingenia conciderunt, ac omni litterarum splendore sublato, inter blandientem inertiam & bellorum strepitum obmutescere, atque silere studia cœperunt. Tentauit quidem Carolus M. grassanti se opponere Barbariei, hancque ob causam Lutetiæ Parisiorum Academiam instituit, ut ibidem litterarum studia tractari, alique eò sapientiæ causa concedere possent. Ipso verè fati erepto, & Europa vniuersa per Hunnorum Normannorumque incursiones conturbata, omnis prope eruditio, ac elegantiora studia, ut ab Italis sic ab orbe Germani-

co

co profligata sunt, totisque pene annis quadringentis, crudeli multata exilio delituerunt, adeo quidem, ut teste Bellarmino, qui Philosophiæ operam nauabat, Magus putaretur.

§. XXIII.

Seculo duodecimo Fridericus Barbarossa rem egregiam aggressus est, amissa litterarum studia, & subuersas ingenti bellorum tempestate disciplinas vindicare coepit militaresque ac feroces Germanorum animos mitiore litterarum cultu emolliri iussit, publicata eum in finem famosa illa Authentica, quæ codici Justiniano inserta summum præsidium ac decus Academiis omnibus tribuit, quo plures eo ipso allicerentur, ut eo concederent, ac peregrinationes instituerent. Potissimum vero seculo decimo quarto studia in Germania florere, Academiæque, complures fundari coeperunt. Namque primo per Carolum IV. Cæsarem Pragæ Bohemorum, mox & per Rupertum Palatinum Heidelbergæ illustres Scholæ conditæ sunt. Jacta tum & fundamenta Vienneſis Academiæ per fratres Archiduces, amplissimis vero etiam privilegiis exornatæ sunt Erphordienſis ac Colonienſis, quorsum postea

multi se studiorum causa contulerunt ita, vt locus saepe, in quo bonæ litteræ docebantur a claris aui istius viris, non ceperit omnes.

§. XXIV.

Postquam semel iacta erat alea, alii etiam, ii que non pauci Germaniæ principes illecti sunt, vt & ipsi de prouehendis magis magisque litterarum studiis saluberrima caperent consilia. Certe sæculo XV. Johannes Episcopus Herbipolensis Anno sæculi memorato tertio in sede sua episcopali nouam erexit Academiam, quam post sexennium excepit Lipsiensis Friderico I. Saxoniae Electore sumptus suppeditante. Rostochienfes duces Megapolitani Anno XV fundarunt vrgente præsertim Senatu ciuitatis, qui & impenfas ad eam largiter contribuit. De reliquis Academiis paulo post erectis vix attinet dicere. Certabant quasi inter se summi imperantes de principatu, & nemo iam erat, qui non scholas aliquot vel Academiam in terris suis instauraret. conferatur Conringius in Antiqq. Acad. dissert. I. p. 47.

§. XXV.

Dici non potest quantam apud externos
laudem

laudem sibi tum conciliauerint Germani, quæ enim paullo ante omne studiorum genus alta premebat nox, nouo velut exorto sole nunc depellebatur; poterat Germania cum reliquis fere omnibus totius Europæ partibus de ludorum litterarium scholarumque numero contendere. Neque tamen sic expletum fuit desiderium nationis nostræ, quin sæculo XVI. indies maiora incrementa cœperint artes liberales. Nam principes imperii suafu præsertim hortatuque Maximiliani I. Imperatoris, nouas non solum scholas, & Academias passim erexerunt, quas inter Wittebergenfis & Francofurtensis ad Viadrum omnium maxime celebrabantur, quarum illa Friderico sapienti Saxonix Electori; hæc vero Joachimo Marchioni Brandenburgensi suos debent natales, sed etiam viri eleganti litterarum doctrina imbuti passim bonas litteras excitarunt, quæ instaurationi & emendationi Christianæ doctrinæ postea magno fuerunt adjuumento.

§. XXVI.

Nostra patrumque memoria similiter plures natæ sunt Academiae, quas omnes enarrare & nimis prolixum & superfluum omnino foret, confera-

feratur post Conringium l. c. scriptores qui historiam Ecclesiasticam illustrarunt deque progressu & incrementis studiorum superioris & præsentis æui ex instituto egerunt. Jam igitur non amplius opus habebant Germani ad exterarum regiones excurrere atque hinc ingenti cum labore & sumptu sapientiam petere, quia in patria doctissimos quosque viros adire poterant, inque solidioris doctrinæ arcana penetrare. Qui rectius sapiebant non adspernabantur, quæ domi sibi nascebantur: qui vero curiosiores erant, inepte credebant neminem docti viri nomen promereri posse, nisi qui exterarum salutasset Musas, quos merito rident sapientiores eosque suo sensu abundare patiuntur.

C A P. II.

De

Fine peregrinationis eruditæ.

§. I.

Quem finem sibi veteres Philosophi peregrinationibus suis præfixerint, ex supra dictis maximam partem constare poterit. Scilicet

licet non vanæ curiositatis gratia illi itinera sua instituebant, sed duo potissimum in omnibus peregrinationibus respiciebant, nimirum ut se aliosque emendarent. Hinc eo consilio animique proposito peregrinas lustrabant oras, ut & euidenter sedulo, quicquid vitium trahit, aut turpe habetur, contra vero ea affatim haurirent, unde meliores sapientioresque euadere possent. Cumque probe scirent, nullam esse tam felicem terram, quæ præstantissima ingenia omnia includat, quæque gremio suo omnes sapientiæ & eruditionis stirpes complectatur; non contenti erant iis disciplinis, quas præstare natale poterat solum, eas peragrabant regiones, ubi splendidissima lumina sapientiæ & morum fulgebant, ut exinde peterent, quibus destituebatur patria. Nec sane hoc suo scopo exciderunt; ipse quippe euentus satis testatur, quod morum sanctitate, literarumque elegantia non ipsi solum excelluerint, sed plures alios quoque ad se traxerint, patriamque ita his sapientiæ thesauris exornauerint, ut laus eorum atque memoria, adhuc hodie in scriptis eorum supersit ac floreat, uti ex supra dictis elucet.

E

§. II.

Nostrorum si spectemus itinera, nec debito modo, nec ea, qua decet intentione a plerisque institui, experientia testis est. Ita quippe constat, hodie plures ire in Galliam & Italiam, ut saltationes peregrinas motusque Ionicos ediscant. Immo luxus peregrinus adeo immutauit Germaniam nostram, ut seipsam ne quidem ad speculum agnoscat, ceu grauius scribit doctissimus Piccartus ad L. V Polit. Aristot. cap. 8. Politici ex Italia & Gallia reduces a patrum nostrorum moribus recedunt, & omnes pulices tussire audiunt, semperque noua instituta crepant, non quia bona, sed quia noua. *Quot Germani animi gratia in Italiam profecti sunt, qui ibi animum & animam perdidere? Quot pietatem in Gallias intulerunt, qui impietatem inde retulere? Quot morum constantiam & sanctitatem foras asportauerunt, qui inde inconstantia & leuitatis flagitia reportauerunt? Quid dicam de aliis, qui intra lares paternos expectatione primi & quibus meliores ne voto quidem fingi poterant, foris Apostata hostes patriae extiterunt, Nerones & Sardanapali euasere? verba sunt Dn. Th. Lan-*

Lansii in orat. pro Germania p. 17. & 18. Sic ipsæ quoque Academiae, quæ merito esse deberent officinæ Spiritus S. ad quas pietatis & studiorum gratia a parentibus mittuntur iuvenes, plerisque, qui non rectum sibi præfigunt scopum, & mala intentione ad eas proficiscuntur, ex accidenti euadunt officinæ Diaboli, ut expediret, ne vidisse quidem vnquam ea loca, ex quibus nil nisi impietatem, corruptos mores & barbariem maximam reportant.

§. III.

Certe qui cum fructu peregrinari cupiunt, duo ista exemplo veterum semper sibi proponant necesse est; scilicet emendationem morum & augmentum studiorum bonarumque litterarum, quæ nisi assequantur, peregrinationem omnem vanam & inutilem esse certo sibi persuadeant. Et quidem vterque finis probe coniungendus est, nec alter ab altero divellendus, cum, qui proficit in litteris ac deficit in moribus, plus deficiat quam proficiat, ille vero, qui moribus, inculpatis est, litterarum autem subsidio destituitur, nequaquam nostro hoc tempore tam utilem operam aliis nauare possit.

§. IV.

Morum itaque emendationem si spectemus, magna utique cautione opus est. Cum enim gens quæque suas virtutes sua quoque vitia habeat, nihilque omni ex parte sit beatum, peregrinantes nequaquam imitari decet foedam Arachnen, cui rosâ materia lethalis est veneni, quin sequantur potius apes, quæ e flore aconiti dulcia mella, e crudo acantho nectar legunt. Animum igitur, qui itinera suscipiunt, mutare debent non cælum, mores veteres prauos scilicet & corruptos exuere ac deponere, & eorum loco nouis eisque melioribus assuescere.

§. V.

Eruditionem porro quod attinet & incrementa in studiis tanquam alterum finem, quem peregrinator itineribus suis intendit, cum in varias se partes diffundat, pluraque ambitu suo complectatur, quam ut ab vno singula comprehendere possint; pro diuersitate personarum multiplex esse potest. Sic alium Polyhistor & Criticus, alium Theologus, alium Politicus alium denique Medicus sibi constitutum habet.

§. VI.

§. VI.

Critici & Polyhistores, quorum per singulas fere disciplinas partesque eruditionis versatur curiositas atque industria, ea, quæ in vnaquaqueprehendunt rariora, observent. Hinc Doctorum virorum amicitias quærant, bibliothecas perlustrent, numismata & statuas scrutentur, inscriptiones colligant, antiquitates, rudera & monumenta contemplantur. Hoc ipsorum *ἔργον* sit. Sed neque Theologi Politici aut Medici hæc prorsus negligunt, verum quantum scopi ipsorum ratio permittit, simul attendunt, cum harum rerum notitia partim insigne ornamentum afferat, partim aditum ad viros in magna dignitate constitutos muniat.

§. VII.

Qui ad vsum Theologicum peregrinationes suscipiunt, hoc præcipue agant, vt statum Ecclesiarum & Scholarum sibi cognitum faciant, Episcopos & Theologos celebriores sciant, incrementa & decrementa Christianismi, obstacula, quæ illum impediunt, remedia, quæ promouent, controuersias & imprimis recentiores earum-

rumque munimenta & scripta, aliaque huc facientia diligenter obseruent. Quæ omnia reliquis quoque qui eruditionis solidæ laudem reportare cupiunt, nequaquam negligenda sunt, sed eo maiori cura annotanda, quo maiorem in omnibus religionis habendam esse rationem constat.

§. IIX.

Politici præcipua in eo posita sit cura, vt cognoscat originem cuiusque reipublicæ, incrementa & decrementa, insigniores mutationes, seriem imperantium, eorum genealogias affinitatesque cum principibus aliis: Porro obseruet conditiones cuiusque imperio subiectas, earumque naturam, situm, magnitudinem, fines, maria, flumina, vrbes, castella, naturam & qualitatem locorum, prouentum agrorum, fructuum animalium, mores, ingenium, linguam incolarum, aliaque eius generis: Denique attendat ad finem formamque regiminis secularis, rationem administrandi, magistratus præcipue & ministros, aliosque administratores, opes, potentiam redditus & expensas, foedera & amicitias aut inimicitias, prætensiones, controversias illustres, rationem status, & arcana potiora.

§. IX.

Alium rursus scopum sibi præfixum habet Medicus & solers naturæ indagator: Is namque opera naturæ & artis cumprimis admiratur & quæ ad futuros vsus facere possunt colligit, Nosodochii Pharmacopolia, theatra item anatomica visitat, qui morbi huic vel illi regioni sint peculiare & quasi proprii, quæque remedia aduersus eos adhiberi soleant, attendit, aliaque eius generis plura obseruat, non neglectis interim reliquis eruditionis partibus, partim ad emolumentum, partim vero ad ornamentum facientibus, quarum tam indissolubilis nexus est, vt vix vna absque altera perfecta esse possit, ac ille, qui vna earum caret, haud quaquam solide doctus dici mereatur.

Sed hæc & reliqua hætenus considerata, velut in transitu saltem attigisse sufficiat, cum singula, peculiaribus disputationibus destinauerimus, & de peregrinationibus, Theologi, Politici, Medici & Critici seu Philologi impofterum si, Deus vires & sanitatem concesserit, in specie agere omniaque vberius explicare constituerimus.

C O R O L L A R I A:

^{I.}
HOdiernae litterae sacri textus Hebraei
sunt genuinae atque primitivae, Mo-
saicae atque Propheticae.

^{II.}
Lingua Graeca nequaquam est omnium vber-
rima.

^{III.}
Ethica Aristotelis non tam Ethicae quam Po-
liticae nomen meretur.

^{IV.}
Imperium nostrum Romano - Germanicum
ad nullam formarum Aristotelicarum re-
ferri potest, interim tamen non est irregula-
ris Resp. nec monstrum Reip.

^{V.}
Non datur bellum punitivum.

^{VI.}
Algebra plurimum ad veritates novas inue-
niendas confert.

^{VII.}
Chiromantia Mathematicis scientiis accenseri
nequaquam meretur.

^{VIII.}
Vt omnium animalium ita hominis quoque ge-
nerationem ex ovo fieri recepta est sententia.

^{IX.}
Mentem immortalem esse ex argumentis a na-
tura petitis verosimiliter quidem elucescit,
ἀπόδειξις autem ex Script. Sac. petenda est.

X.
Logica omnibus hominibus connata est.

XI.
Veritas Logica non est in rebus sed in intellectu rem bene vel male concipiente.

XII.
Metaphysica quorundam nihil aliud est, quam vocabularium Philosophicum & terminorum explicatio.

XIII.
Metaphysica quorundam perperam ita dicitur, potius Ontologia appellanda.

XIV.
Poetae non fiunt, sed nascuntur.

XV.
Eloquens differt à diserto.

XVI.
Eloquens est ille, qui scit parua submisse, media temperate, magna grauitate dicere; qui scit inuenire praeclare, enuntiare magnifice, dispo-
nere apte & figurare uarie.

XVII.
Constantinus M. plus aequo & vero a certis Autoribus extollitur.

XVIII.
Fabula est, Belisarium Magistrum militum Justiniani temporibus, post res fortiter gestas ad mendicitatem redactum & excoecatum fuisse.

57 E 8

